Staats- und
Universitätsbibliothek
Bremen

Staats- und Universitätsbibliothek Bremen

Digitale Sammlungen

Num. XCI. ANNI 1676. 13. NOVEMBRIS.

1676

Visual Library

RECORD OFFICE

Num. XCI.

EXTRAORDINARIÆ RELATIONES

ANNI 1676. 13. NOVEMBRIS.

Viennâ, 1. Novembris.

[Præ]teritâ Mercurii propter nuncupatam ... Neo-Sponſam Regis Catholiciſſimi Fi[li]... [Serenissim]i Cæſari, Archi-Ducem in Cæſarea hac ... [omn]es exterorum Principum Oratores, Miniſtri ... [Mag]nates gratulabundi pompâ ſolemni veſtium... ſplendidiſſimo convenerant, publicatam ... electionis declarationem feſtivè celebra[ru]nt; ſub veſperam degens hic Orator Hiſpanus in ... ſuæ ſuorumq; lætitiæ teſtimoniũ ampliorem ... plenis applauſum ex omnibus hoſpitii ſui feneſtris virgineas ardentes tædas extendit, generoſum ... rubrique coloris vinum largè per venas diffudit, ... pecuniæ liberali manu in confluentem magno numero plebem erogavit: poſt biduum certius certo Princeps Diederichſteinius cum xeniis Cæſareis ad Aulam Neoburgicam proficiſcetur, decimâ nonâ labentis viduæ Imperatricis natalis ſplendidè celebrabitur; vigeſimâ primâ Cæſar faciet iter Lintzio Paſſaviam, ubi nonâ Decembris certò celebrabuntur nuptiæ, quamvis aliqui ipſo SSS. trium Regum, natali Neo-Sponſæ; alii aliis celebrandâs diebus autument. Quotidiè deliberat Aula de aſſignandis peditatui & Equitatui Cæſareo hibernis promovendâque juſtiſſimâ Cæſaris in hoſtem armaturâ: Dum cives ſint impares ſolvendis nummis; quos, expulſis olim Iudæis, promiſerant; videtur agi de reſtituendis eliminatis & in certa admittendis hoſpitia; magnam annuè vim pecuniæ offerentibus: Mercium Francicarum Provinciis Cæſareis totoque Imperio facta excluſio totas Gallias mirum quantum perturbat. *Continuatio nuperæ Gratulationis ad Cæſarem de expugnatione Philipsburgi.*

Obſident jam viciniæ Burgundiæ clauſtra, & inacceſſos hactenùs aditus penetrârunt; ita ut nihil obſtet, quò minùs Bernam, Salodurum, Friburgum, quotieſcunquè viſum fuerit, excurrere, imò totam illam Regionem, quæ ab Arolâ ad Lacum uſquè Lemannum porrigitur; commeatu excludere queant. Quamdiu autem Briſacum Gallici Iuris eſt; Baſilea à reliquo Helvetiorum corpore velut abſciſſa; quid aliud, quam precario Iure; & quouſquè Gallis placuerit; libertatem retinebit, nec umbram ejus, nec veſtigium ſervatura; quamprimùm Gallorum deſideriis refragari cœperit. Nec eſt quod utilitatem è Commerciis; lucellum è ſtipendiis, ſecuritatem è fœdere Gallorum ſibi polliceantur. Interdicta Commerciorum libertas plus Gallis, quàm Helvetiis oberit. Poſtquam exemplo Batavorum compertum eſt, intercluſo commercio Gallis ſpiritum, & ſanguinem eripi, ac Vitæ alimenta ſubtrahi, ceteris autem gentibus, quibus Vinum è Germania, frumentum è toto Septentrione ſuppetit, nihil inde incommodi accidere, quàm ut mercibus ad lucrum, & vanitatem deſtinatis, ad tempus carere, reliquas autem ad vitæ uſum neceſſarias aliquantò carius è longinquo mercari cogantur; quæ moleſtia, utilitatis publicæ beneficio facilè rependitur. Lutellum autem ex Gallico auro profectitium Hiſpaniæ Opes totius novi Orbis divitiis; ac annuarum claſſium Theſauris onuſtæ liberaliter ſupplebunt, nec occultum eſt; utrius Imperii largitionibus pauperes quondam ac ruris ſui, & paſcuorum proventibus contenti majores ipſorum ad eam; quam Ipſi mirantur, opulentiam ſuccreverint; cum econtrà cum improbo fœnore repoſcat Gallus pecuniam, quam ſtipendiariis credidit, quorum corpora in Caſtris, animos in obſequio, agros in ditione ſuâ habere cupit. Quid quod nec ad Univerſalis Monarchiæ à tot Sæculis expetitæ culmen abſque Italiæ ſubjectione, nec ad Italiam ſubigendam, niſi domitâ prius Helvetiâ eniti Gallus poteſt, neque ulla ei fœderum Religio tàm Sacro-Sancta, & inviolata erit, ut in ejus gratiam ſe ab explendo vaſtiſſimæ ambitionis ſuæ æſtu abſterreri ſinat. Nec metam habent vota ejus, nec modum & qui neque triplici Tiaræ, neque ſanguini proprio pepercit, quem neque pupillaris ætas, neque indefenſa Viduæ ſolitudo intra conceſſos verecundiæ limites cohibuit, eum ſcilicet inita cum Helvetiorum, Rhætorumquè populis, quos pro ignobilibus, colonis, & ruſticis habet, fœdera continebunt, ne alibi rebus ex ſententiâ confectis per ruinas Helvetiæ ad Italiam occupandam gradum ac Viam ſibi moliatur. Imò, ſi res dicenda eſt, propugnaculum Helvetiæ Germania hactenus extitit, cujus incolumitati libertas Helvetiæ tàm arctè cohæret, ut nec ſalvi eſſe, nec perire niſi unà poſſimus. Quod Helvetia alieni diſcriminis hactenus expers vicinorum labores è tuto ſpectavit; Germaniæ munus habet; quod Germania Gallicæ Dominationis fauces evaſit, compedes exuit; catenas disjecit; Tui, *Deus optime maxime,* Beneficii; Tui; *Cæſar Auguſte,* quem ex unanimi, ac uniformi veteris Eccleſiæ ritu; ut hominem; quemadmodum Tertullianus loquitur, à DEO ſecundum, ac ſolo DEO minorem, & quicquid eſt, à DEO conſecutum, Chriſtiana Pietas veneratur, auſpicii eſt. Per *Te Imperator;* viſum eſt Numinis Gigantes Pelion Oſſæ imponere; & ipſum Olympum conſcendere; ac Cœli arcem invadere parantes cervicibus publicis depellere; ac immenſos eorum conatus; ut ventus folia, aut pelliculum tectorium ſolet, diſpergere. *Tuum* eſt LEOPOLDE, quod vivimus, quod valemus. Quòd fines Imperio, Imperium finibus ſuis reſtitutum, non jam amplius de ſalute ſua cum Hoſtibus; ſed de Gloria dimicat, Tuum eſt, *Auguſte.* Quod Gallia Germanos non ut ante hac deridiculo, & pro innocentibus habet, & citius fraude, ac dolo circumveniri; quàm vi, & aperto Marte conculcari poſſe ſero agnoſcit; Tuum eſt; *Auguſte.* Quod liberas iterum prò Republica voces edere, quod de communi Patriæ Salute in medium conſulere; ac impendens nobis omnibus periculum concordiâ propulſarè licet; Tuum eſt, *Auguſte.* Quod ejecto, quicquid uſpiam fuit turbido, ab Aulis Principum, à cœtibus Comitiorum exulant, qui Legatorum Privilegiis, ac immunitatibus ad impunitatem corruptionum, ac proditionum ſuarum obtinendam nequiter abuſi Rempublicam turbaverânt; Tuum eſt; *Auguſte.* Quòd proditores aut in carcere vitam degunt, aut extra Patriam, illis ipſis; quos antepoſuerunt, inviſi, famelicam ætatem trahunt; ac cum Tarquiniis, & Mariis in infami exilio ſeneſcunt; Tuum eſt, *Auguſte.* Quòd Hoſtes Reipublicæ non ampliùs in Conſiliis eminent, & clamoribus ſuis omnia miſcent; tuum eſt, *Auguſte.* Quòd Germania Gallum timere deſiit, ac ab eâ viciſſim timeri cœpit; Tuum eſt, *Auguſte.* Verùm etiam poſthac; quod pace tuâ dictum ſit, ne Germania Bello invicta inſidioſæ Pacis Imagine, ac ſimulatione decipiatur, Tuum erit, *Auguſte,* Ut è Bello pari integritate, ac fortitudine gerẽdo ſublatis hoſti deinceps nocendi mediis, ac renovandi

143

COPYRIGHT - NOT TO BE REPRODUCED PHOTOGRAPHICALLY WITHOUT PERMISSION

Staats- und Universitätsbibliothek Bremen
DFG

validiore impetu Belli instruimentis ſolida Pax naſcatur, Tuum erit, *Auguſte*. Ne hic deſinamus, ubi cœpimus, & in medio Victoriarum curſu præpoſtero armorum tædio, & amore quietis non tàm bellum abrumpamus; quàm ſub fallaci Pacis dramate, & fucatâ ejus larvâ, quâ gens callida, & ad fraudem acuta ſine Religione, ac fide plus adverſus credulam paciſcentium ſimplicitatem, quàm armis hactenus profecit, involutum Bellum, & obtectas inſidias in ſinum admittamus.

Tuum erit, Auguſte, ut è Bello Pacem, ſed ſecuram, & cui nihil inſidiarum ſubſit, obtineamus, ac Tua Tibi Majeſtas, ſua Orbi Serenitas, Sua Germaniæ Libertas, Sua Ordinibus Dignitas, Sua Legibus Autoritas, Finibus tranquillitas reſtituatur, Tuum erit Auguſte. Ne infauſtis ſuperiorum temporum Conditionibus amiſſa recuperandi, ab Imperio per injuriam avulſa poſtliminii jure repetendi, ac Imperii redintegrandi oblatam divinitùs occaſionem, nec, ſi jam prætermiſſa fuerit, tàm facilè redituram, è manibus dimittamus, Tuum erit Auguſte. Vt tota ſibi Germania conſentiat, & cum Capite ſuo omnia ampliſſimi corporis membra in unum Spiritum, Cor Animam coaleſcant, & nihil uſpiam ægrum, aut diſcors, nihil à conſervandæ, aut muniendæ Patriæ ſtudio alienum, nihil inter Defenſores Reipublicæ, & ejus hoſtes medium reperiatur, aut relinquatur, Tuum erit, Auguſte, Vt poſthac nullus Exploratoribus, quocunque honeſti nominis titulo ſecreta Imperii rimantibus, & diſſidiorum ſemina ſpargentibus in Germania locus ſit, Tuum erit, Auguſte, Ne poſthac Gallia càro nobis pretio volubilitatem Linguæ, corruptelam morum, anniverſarium Veſtium novitatem, cærimoniarum fumos venditare ſueta, Inſaniâ noſtratium, ac ſumptibus in perniciem, ac infamiam noſtram abutatur, Tuum erit, Auguſte. Ne denique reliquorum diſcriminum metu liberata Reſpublica in viduitate Tua Orbitatem Auguſtæ, & ſummum ad faſtigium genitæ Domûs, & in ejus Orbitate ſuum exitium, & majorem quantalibet ſervitute calamitatem timendam habeat, Tuum erit, Auguſte, qui repetito quantocyùs ſuaviſſimo Conjugii nexu Familiæ poſteros, Regnis Hæredes, Imperio Succeſſores dare non ultra differes, & hoc fructu Victoriarum tot partis ab Hoſte Triumphis adjecto, confuſione æmulos, Cives Lætitiâ, Germaniam fauſtis auguriis, *Domum fœcunditate* germinum, Thorum Nepotibus, ac totum orbem proſperâ recordationis Tuæ memoriâ, quæ in æternitate temporum, famâ rerum, monumentis annalium pervigebit, propediem conſilio & induſtriâ Tuâ feliciter implebis, non Pacis minùs quàm Belli tempore Invictus Imperator, Triumphalis Cæſar, Perpetuus Auguſtus. Quemadmodum vovet ad Auguſtiſſimi Tui Solii pedes humillimè proſtratus,

Numinis, Maieſtatiſque Tuæ

Devotiſſimus Adorator I. B.

Ex Caſtris Cæſareis, 1. Novembris.

HOſtis, in prioribus quieſcens hoſpitiis, ante dies aliquot clam ſcloperarios quoſdam è regione littoris, ubi ſup. Vig. Magiſter *Schultzen* cum manipulis ſuis moratur, Rhenum juſſerat trajicere, qui ingentibus vociferationibus numeroſas noſtratium turmas propiùs traherent ad litus, ut incautas ferirent fixæ trans Rhenum curules machinæ; cum verò Generalis *Schultz* unicam duntaxat turmam in vociferantes emitteret, navigiis ad ſuos remeârunt, quibus dictorum tormentorum fulminibus ſine fructu [illegible] vibratis. Quandoquidem Helvetiæ Cantones Principi Lotharingico indicârunt, minari Principem Luxemburgicum, ſeſe, niſi Cæſarei pagos cis-Rheananos territorio Baſileenſi ſubjectos deſererent, trans Rhenum quoque Baſileenſes pagos militari onere gravaturum, decretum eſt, hodiè hinc è *Schlingen*

aſcendere & in *Dannenkirch* oppidum Margravio-Durlacenſe divertere, quamvis vix viarum difficultates penetraturi.

Gedano, Dantzig, 1. Novembris.

AVdite inopinam, honeſtam & pulchram ſcil. Polonorum pacem cum Turcis: Poloniæ Rex Cæſari Ottomannico cedit Cam necum cum univerſa penè Podolia, cedit maximam partem Vcraniæ Bialacierkioviam & *Pavvoczium* uſque, cedit Barrenam & Medzibozium, cedit denique Kalmickium & Nimieroviam cum ſuis dependentiis: contrà Turcæ Polonis remittunt tributum, Hieroſolymitanum *Salvatoris* tumulum RR. PP. Franciſcanis reſtituent, obſides Leopolenſes priori libertati reddent captivoſque Polonos hoc anno in vincula abſtractos dimittent. Alii pacis articulos hoc ordine referunt inquibuſdam variatos, 1. Priores pacis Turcico-Polonicæ conditiones prorsùs annihilantur, 2. De Camineco in Aula Turcica conſultabitur. 3. Qui hoc anno capti, reſtituentur, 4. Religionem Chriſtianam in Civitatibus hactenùs bello Turcico ſubjugatis Turcæ non interturbabunt. 5. Nulla dabunt tributa Poloni quamvis olim promiſſa. 6. Cudetur vinculum merendi contrà Hoſtes Poloniæ. 7. *Sancto* Chriſti ſepulchro reſtituentur Patres Franciſcani. 8. denique, Vir gravis ad Aulam Ottomannicam deſtinabitur ad ratos habendos hos Articulos.

Pariſiis, 3. Novembris.

MAreſcallus de Crequy non magno locorum intervallo abeſt ab hoſtibus; ſolus fl. Sara interjacet, retardaturus utrimque machinationes: mandatum Mareſcallo, ne cum robuſtis, quos olim expertus, Germanis prælietur, ſed in munitiores aditum Civitates militem diſtribuat. Ventilatur ſeduló Tractatus corradendorum è Flandria tributorum: quatuor deſultorias legiones ſcribimus Dnis de Crequy, Humieres, Comiti de Terin & D. Barbeziers: equeſtres legiones poſthac decem duodecimve centurias numerabunt. Rex cum Aula in S. Germani concedet 15tâ hujus, hiemem ibi conſumturus. Princeps de Navailles, copiis ſuis in hiberna Ruſiliæ diſtributis, huc ad Aulam revertet: pars ejuſdem copiarum in Delphinenſes, pars in Burdegalenſes, alia demum in Rovergnenſes agros divertit. Res *Siciliæ* majores dicto gignit difficultates: quod opinione noſtrâ omnium minores in totam ejus ſubjugationem ſint progreſſus, culpam in Martis *Siculi* capita conjicimus, maximam in Thalaſſum Queſne, quod à nave Anglica monitus, rates Hollandicas Panormo Neapolim cogitare, neglexerit eas adoriri datâ opportunâ occaſione, conceſſeritque ſalvum ſpectans tranſitum. Ex Alſacia, Principem Luxemburgicum fugæ accinctum, vixque ante Veris proximi exordium fore paratum frangendis inſecuturi Principis Lotharingici molitionibus.

Argentorato, 3. Novembris.

CÆſarei & Galli trans- & cis-Rhenano in litore accuratiſſimas agunt excubias: Galli quidem in pagos diverterunt, anhelant autem diu noctuque ad hiberna, non capeſſenda priùs, quam viderint à Rheno Cæſareos ad eadem greſſus [illegible] flectere: è præſidiis Tabernano & Hagenoënſi quatuor legiones hac hebdomade conceſſerunt ad Principem Lotharingicum propè Baſileam validiſſimè fixa caſtra circumvallantem.

Ex Caſſel in VVeſterich, 3. Novembris.

NVdius tertius miles Luxburgico-Monaſterienſis è *Kirn* in hunc agrum divertit: ſup. Vicarius Chauvet, qui primipilos aliquot manipulos ad S. VVendelini fixit, heri, cum paucis hic locutus Ducibus, ad priores rediit: nunciârat ille, Mareſcallum de Crequy cum caſtris ſuis ad *Saram* fl. *Zvvey-* & *Saarbrucken* inter hærere. Hodie Comes Dunevvaldicus cum legionibus ſuis ex *Odernheimb* in *Offenbach* ad *Glabn* divertit: idem hic Principi Brunopolenſio-Cellenſi loquutus, auditis Monaſterienſes & Lunæburgicas copias dies aliquot hic quieturas; quare & ibi Cæſareæ tempus aliquot conſument.

Imprimebat PETRVS HILDEN S. C. M. P. R.

Staats- und Universitätsbibliothek Bremen
DFG